APHRODISIACA

Excerpta Beccadelliana – Avriliana – Forbergiana

EDITUM IN
BIBLIOTHECA LEONIS LATINI
https://ephemerisnuntii.eu/bibliothecaLL.php
A.2026

DE ANTONIO BECCADELLI PANORMITA

(1394-1471)

Antonius Beccadelli(us) Panormita natus est a.1394 Panormi, mortuus d.15.m.Ian. a.1471 Neapoli. Qui fuit Italus humanista, id est auctor renascentiae artium atque litterarum. Beccadellius in urbe Senae Iuliae (i.e. Italicê Siena) studuit litteris cognoscendis. Idem a.1425 Bononiae publicavit opus epigrammatum, quae obscaena atque satirica Latino sermone conscripserat. Hoc opus, cui titulum imposuit Hermaphroditi, dedicavit Cosimo Mediceorum. A.1429 Beccadellius factus est poeta aulicus Ducis Philippi Mariae Visconti. A.1434 novo fautori se adiunxit eo quod factus est secretarius et consiliarius Alfonsi V. Araconensis. Beccadellius Neapoli studiorum humanisticorum fautor a.1458 condidit Academiam Pontanianam, quae a Iohanne Pontano discipulo eius et successore recepta et exaucta adhuc exstat. Quae academia aetate

1 Textus originalis est symbola Wikipediana theodisce scripta: https://de.wikipedia.org/wiki/Antonio_Beccadelli

Beccadellianâ appellabatur *Porticus Antoniana*. Īdem humanista scripsit *De dictis et factis Alphonsi regis* necnon carmina epistulasque Latinas.



Notae marginales ab ipso Antonio Beccadelli scriptae in codice Latinae versionis Plutarcheae, quam possedit auctor Hermaphroditi. Romae, in Bibliothecâ Apostolicâ Vaticanâ, Vat. Lat. 3349, fol. 161v

DOMUS ANTONII BECCADELLI NATALIS PANORMITANA

Editiones et translationes

· **Antonio Beccadelli**: *Hermaphroditus*. Lateinisch und deutsch. Reclam, Leipzig 1994.
· **Donatella Coppini** (Hrsg.): *Antonii Panhormitae Hermaphroditus.* Bulzoni, Rom 1990, ISBN 88-7119-351-2 (kritische Edition mit ausführlicher Einleitung).
· ***Antonii Panormitae**. Lateinisch nach der Ausgabe von C. Fr. Forberg (Coburg 1824), nebst einer deutschen metrischen Übersetzung und der deutschen Übersetzung der Apophoreta von C. Fr. Forberg. Besorgt und herausgegeben von Fr. Wolff-Untereichen. Mit einem sexualwissenschaftlichen Kommentar von Dr. Alfred Kind.* **Adolf Weigel**, Leipzig 1908 (Digitalisat im Internet Archive).
· **Holt Parker** (Hrsg.): *Antonio Beccadelli: The Hermaphrodite.* Harvard University Press, Cambridge (Massachusetts) 2010, ISBN 978-0-674-04757-0 (lateinischer Text und englische Übersetzung).
· **Nikolaus Thurn**: *Drei neapolitanische Humanisten über die Liebe. Antonio Panormita Beccadelli: Hermaphroditus; Ioannes Iovianus Pontanus: De Amore Coniugali;* ***Michael Tarchaniota Marullus**: Hymni Naturales.* 2002, 2. überarbeitete und aktualisierte Ausgabe 2019. ISBN 978-3-86757-108-1 (enthält jeweils lateinischen Text und deutsche Übersetzung)

Litterae secundariae

· **Gianvito Resta**: *Beccadelli, Antonio, detto il Panormita.* In: Alberto M. Ghisalberti (Hrsg.): *Dizionario Biografico degli Italiani* (DBI). Band 7: *Bartolucci–Bellotto.* Istituto della Enciclopedia Italiana, Rom 1965, S. 400–406.

Iunctiones interretiales

· **Literatur von und über Antonio Beccadelli** im Katalog der Deutschen Nationalbibliothek
· **Hermaphroditus** Erstes Buch und Auszüge aus dem Zweiten Buch

SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
QUAE SPECTAT AD
ANTONIUM BECCADELLIUM PANORMITAM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS

EXCERPTA HERMAPHRODITI BECCADELLIANI[1]

HERMAPHRODITI
LIBELLUS PRIMUS.

I.

AD COSMUM FLORENTINUM, EX ILLUSTRI PROGENIE MEDICORUM VIRUM CLARISSIMUM, QUOD SPRETO VULGO LIBELLUM AEQUO ANIMO LEGAT, QUAMVIS LASCIVUM, ET SECUM UNA PRISCOS VIROS IMITETUR.

Si vacat a patrii cura studioque senatus,
Quidquid id est, placido lumine, Cosme, legas.
Elicit hoc cuivis tristi rigidoque cachinno
Cuique vel Hippolyto concitat inguen opus.
Hac quoque parte sequor doctos veteresque poëtas,
Quos etiam lusus composuisse liquet,
Quos et perspicuum est vitam vixisse pudicam,
Si fuit obsceni plana tabella joci.
Id latet ignarum vulgus, cui nulla priores
Visere, sed ventri dedita cura fuit.
Cujus et hos lusus nostros inscitia carpet.
Oh ita sit ! Doctis irreprehensus ero.
Tu lege, tuque rudem nihili fac, Cosme, popellum,
Tu mecum aeternos ipse sequare viros.
……..

1 Septem carmina Beccadelliana, quae sequuntur, Leo Latinus excerpsit ex hac editione: Antonii Panormitae Hermaphroditus. Primus in Germania edidit et apophoreta adjecit Frider.(icus) Carol.(us) Forbergius. Coburgi (Sumtibus Meuseliorum) 1824, p.39-47.

II.

AD SEMET IPSUM LOQUITUR ET RESPONDET.

Cosmus habet dios et lectitat usque poëtas;
Quid studium turbas, rauce poëta, suum?
Cosmus habet lautas epulas; quid oluscula coenat?
Una quidem ratio est et studii et stomachi.

III.

AD COSMUM VIRUM CLARISSIMUM, DE LIBRI TITULO.

Si titulum nostri legisti, Cosme, libelli,
Marginibus primis Hermaphroditus erat.
Cunnus et est nostro simul est et mentula libro;
Conveniens igitur quam bene nomen habet.
At si podicem vocites, quod podice cantet,
Non inconveniens nomen habebit adhuc.
Quodsi non placeat nomen, nec et hoc, nec et illud,
Dummodo non castum, pone quod ipse velis.

IV.

AD MATRONAS ET VIRGINES CASTAS.

Quaeque ades, exhortor, procul hinc, matrona, recede;
Quaeque ades, hinc pariter, virgo pudica, fuge.
Exuor, en bracis jam prosilit inguen apertis,
Et mea permulto Musa sepulta mero est.
Stet, legat et laudet versus Nichina procaces,
Adsueta et nudos Ursa videre viros.

V.

DE URSA SUPERINCUBANTE.

Quum mea vult futui superincubat Ursa Priapo;
Ipse suas partes substineo, illa meas.
Si juvat, Ursa, vehi, moveas clunemque femurque
Parcius, aut inguen non tolerabit onus.
Deinde cave reduci repetas ne podice penem;
Quamvis, Ursa, velis, non mea virga volet.

VI.

DE CORVINO VINUM ACCURATE CUSTODIENTE, NON UXOREM.

Corvinus vegetem[1] custodit clave seraque,
Non cohibet cunnum conjugis ille sera.
Zelotypus vegetis, cunni sed prodigus ille est;
Haustu nam cunnus non perit; illa perit.

VII.

EPITAPHIUM PEGASI, CLAUDI PAEDICONIS.

Si vis scire meum nomen votumque, viator,
Pegasus hac ego sum claudus humatus humo.
Vota deinde scias, nomen quum sciveris, audi.
Sic desiderio tu potiare tuo.
Quum pathicum quemquam paedicaturus ephebum es,
Illud in hac tumba, quaeso, viator agas,

+**veges,** vegetis f. est vox mediaevalis, valet vas vinarium. cfr http://ducange.enc.sorbonne.fr/VEGES: „VEGES, Vas vinarium, modius, dolium: Italis *Veggia*. Vita S. Joannis Episcopi Tragur.: De tanta paucitate uvarum tres majores jam replevimus Vegetes. Vita S. Andreæ de Galeranis: Ivit ad Vegetem, et facto signo Crucis hausit abunde, Vegete reppleta divinitus...“

Atque ita mis animas coitu, non thure, piato,
Scilicet hanc requiem manibus, oro, dato.
Hoc apud infernas genus est leniminis umbras
Praecipuum; prisci sic statuere patres.
Quippe ita Chironis cineres placabat Achilles,
Sensit et hoc podex, flave Patrocle, tuus,
Gnovit Hylas patrio percisus ab Hercule busto.
Tu mihi majores quod docuere lita.

CHIRON ET ACHILLEUS

ACHILLEUS CURAT VULNUS PATROCLIS.

DE FRIDERICO CAROLO FORBERG

(1770-1848)

Fridericus Carolus Forberg, qui est natus d.30. m.Aug. a.1770 in Thuringiae oppido *Meuselwitz,* mortuus d.1.m.Ian. a.1848 in oppido *Hildburghausen,* fuit Germanus philosophus atque philologus.

Vita

Forbergius filius fuit parochi evangelico-lutherani Meuselwitziani. Lipsiensi in universitate studiorum fuit ***auditor Ernesti Platneri,*** postea Ienensi ***Caroli Leonhardi Reinhold***. A mense Aprili usque ad Septembrem a.1791 Forbergius unâ cum ***Francisco Paulo de Herbert*** iter fecit in Carinthiae urbem ***Vadum Querimoniae*** *(Klagenfurt),* unde Professori Reinhold Ienensi nonnullas epistulas misit, e quibus apparet etiam in Carinthiâ fuisse homines, qui faverent Revolutioni Francogallicae. *„Sane persuasum mihi est in totâ Germaniâ paucos tantum esse similes* ***Domui*** *Herbertianae1 eademque vivacissimê demonstrari, quantam vim salutarem habeat philosophia critica non solum ad mentem, sed praesertim ad animam sui veneratorum.“*

Textus originalis est symbola Wikipediana: https://de.wikipedia.org/wiki/Friedrich_Karl_Forberg

Forbergius Kantianus in opere de vitâ propriâ scripto refert etiam dominas iuveniles Vadi Querimoniae versantes opera Immanuelis Kantii curavisse foliis nigris involvenda, ut haberentur pro libris precatoriis, quales legere sibi liceret inter missam sacram dominicalem, necnon narrat de seminaristis sacerdotalibus, qui audivissent acroases philosophiae Kantianae.

Ab a.1792 usque ad a.1796 Forbergius philosophiam docuit in universitate studiorum Ienensi, ubi scholis suis academicis praecipuê tractavit philosophiam moralem, anthropologiam, philosophiam criticam. At quia solo hoc munere docendi non potuit vitam sustentare, ab a.1794 usque ad a.1796 etiam operatus est pro domo editoria Christiani Ernesti Gabler bibliopolae, ubi cum cetera tum praecipue opera ipsius Fichte philosophi publicavit. Mense Octobri a.1795 exeunte Forbergius divulgavit *„Fragmenta ex chartis meis relicta“2,* ex quibus dilucidê apparet, quae rationes intercesserint inter

Carolum Leonhardum REINHOLD et ***Iohannem Theophilum FICHTE*** philosophos Ienenses et quomodo eaedem sint mutatae. Cum neque alumnis academicis docendis neque libris edendis victum sibi comparare posset sat prosperum, Forbergius aestate a.1796 Ienam reliquit Helvetiam petiturus, ubi adire voluit Iohannem Henricum Pestalozzi. At medio in itinere a.1797 in oppido ***Saalfeld*** ad flumen *Saale* sito munus ei praebetur correctoris lycei – quod suscepit. Rector lycei cum propter scandalum amatorium Saalfeldiam fugeret, Forbergio spes offertur rectoratum accipiendi. At propter Forbergii persuasiones philosophicas atque paedagogicas non omnibus gratas susceptio huius muneris per biennium retardatur. Nam a.1798 Forbergius corrector effecit litigationem atheismi eo quod in periodicoNiethammeri et Fichtei philosophico publicavit symbolam, quae inscribitur *„Notio religionis quomodo explicetur“*3 quam Fichteus in epilogo defendit.

Forbergius sentit religionem esse fidem practicam, qua inductus homo agat moraliter. Haec fides secundum Forbergium e nulla re constat nisi ex eo, quod optatur, ut res bona in mundo superaret. Forbergio, ut est Kantianus, persuasum est existentiam Dei neque demonstrari posse patefactione neque speculatione theoreticâ ideoque non posse admitti et comprobari nisi sensu existentiae putativae, quae adhibeatur a philosopho morali. Theologia a Forbergio aequiparatur philosophiae religionis.

At Forbergio in scholâ non contigit, ut persuasiones suas Kantianas ad effectum adduceret; parentes enim recusaverunt, ne liberi sui ab eo instituerentur. Itaque lyceo relicto îdem philosophus munus magistratûs ducalis Coburgensis accepit, quo functus est ab a.1801 usque ad a.1807**,** et cum alia tum scholae reformationem tractavit.

1 Domus Herbertiana, orig. *„das herbertische hauß“,* i.e. circulus *Francisci Pauli de Herbert Clagenfurtensis* (1759-1811) fautoris artium et litterarum, qui deditus erat philosophiae Kantianae.
2 Titulus originalis: *„Fragmente aus meinen Papieren“*
3 Titulus originalis: „*Entwickelung des Begriffs der Religion“.*

M.Ian.a.1806 Forbergius graviter reprobatus est a gubernatione ducali, quia auctor in periodico hebdomadali Coburgensi Napoleonem gloriose celebraverat. Itaque editio periodici est publice comprehensa et nota censoria signata. Tamen Forbergius m.Mart. eiusdem anni factus est consiliarius cancellariatus secretus rerum ecclesiasticarum scholariumque. Idem bibliothecam a.1807 custodiendam receptam in novum ordinem redegit. A.1820 Forbergius etiam factus est custos collectioniks ducalis chalcographiarum et monetarum, quas in novum ordinem catalogicum redegit.

A.1824 Forbergius in lucem edidit *Hermaphroditum* Antonii Beccadelli Panormitae, opus eroticum renascentiae litterarum. Ut opus Beccadellianum explicet, adicit opus proprium, quod inscribitur ***„De Figuris Veneris“.*** Hoc opus Forbergianum Latinê scriptum est quodammodo enchiridion erotologiae classicae, in quo auctor textûs antiquos, sed etiam textûs aetatis novae priores collegit, quibus multiplicitas morum veneris colendae clarê atque dilucidê describitur.

A.1827 Forbergius sedem suam in oppidum *Hildburghausen* transtulit, quia consessor factus est extraordinarius sectionis vigilum publicorum gubernationis ducalis1. A.1829 salvo salario pleno emeritus est. A.1840 editum est opus eius, c.t. *„Curriculum vitae viri qui cecidit in oblivionem“*2. A.1848 Fridericus Carolus Forbergius postquam per sex septimanas aegrotavit aetate 77 annorum in oppido Hildburghausen ducalis consiliarius cancellariatus secretus Saxonico-Meiningianus de vitâ decessit.

Forbergius illuminator mentium criticus, qui aetate Fichteanâ remansit Kantianismo obligatus, ab historicis philosophiae saepe iniustê dicitur esse discipulus Fichtei, quem a.1797 in „Epistulis de philosophia novissima scriptis“ vituperavit. *Fridericus Mauthner* Forbergium appellavit *„quoad liberationem a religione ... unicum Kantii discipulum verum.“*

Scripta Forbergii ipsius

- (anonym:) *Fragmente aus meinen Papieren*, Jena 1796
- *Briefe über die neueste Philosophie.* In: *Philosoph. Journal* 6. Bd., 1. H., (1797), S. 44–88 u. 7. Bd., 4. H., (1797)
- *Entwickelung des Begriffs der Religion.* In: *Philosoph. Journal* 8. Bd., 1. H. (1798), S. 21–46
- Werner Röhr: *Appellation an das Publikum… Dokumente zum Atheismusstreit um Fichte, Forberg, Niethammer.* Jena 1798/|99, Leipzig 1987
- (anonym:) ***Lebenslauf eines Verschollenen*, Hildburghausen u. Meiningen 1840**
- *Antonii Panormitae Hermaphroditus*, Coburg 1824
- Friedrich Karl Forberg: *Manual of Classical Erotology (De Figuris Veneris)* [1884], lat./engl., Honolulu 2003
- Friedrich Karl Forberg: *Manuel d'érotologie classique (De Figuris Veneris)* [1906], frz. Übersetzung mit Illustrationen von Paul Avril; spätere Ausgaben mit einem Nachwort von Pascal Pia [1959], auch Paris 1995.
- Antonio Panormita: *Hermaphroditus mit Apophoreta von Friedrich Carl Forberg* [1908], hg. u.

komment. v. Wolfram Körner u. Steffen Dietzsch, Leipzig 1986
• Friedrich Karl Forberg: *De Figuris Veneris (Manuale di erotologia classica)*, lat. Text, ital. Vorwort, Catania: Libreria Tirelli di F. Guaitolini 1928
• Friedrich Karl Forberg: ***Klassische Liebesspiele/Wollust in den Villen Roms*****,** übers. u. hg. v. Johanna Fürstauer, Konstanz 1969
• Friedrich Karl Forberg: *Manual de erótica clássica*, span. Übersetzung, hg. von Luis Parra u. José M. Ruiz. Madrid 2007.

Litterae secundariae

• Wilhelm Baum (Hrsg.): *Weimar – Jena – Klagenfurt. Der Herbertkreis und das Geistesleben Kärntens im Zeitalter der französischen Revolution.* Kärntner Druck- u. Verlags-Ges., Klagenfurt 1989, ISBN 3-85391-083-1
• Wilhelm Baum: *Der Klagenfurter Herbert-Kreis zwischen Aufklärung und Romantik.* In: *Revue Internationale de Philosophie* 197, (1996), S. 483–514.
• Manfred Frank: ***Friedrich Karl Forberg – Porträt eines vergessenen Kommilitonen des Novalis.*** In: *Athenäum. Jahrbuch für Romantik* 6 (1996), S. 9–46.
• Manfred Frank: *„Unendliche Annäherung." Die Anfänge der philosophischen Frühromantik.* Suhrkamp, Frankfurt a. M. 1997, ISBN 3-51828-928-4, S. 623–661.
• Guido Naschert: *Friedrich Karl Forberg.* In: *Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon* (BBKL). Band 32, Bautz, Nordhausen 2011, ISBN 978-3-88309-615-5.
• Guido Naschert: *Fichtes Jenaer Verleger. Friedrich Karl Forbergs Kompagnie mit Christian Ernst Gabler und das schwierige Geschäft mit der Revolution.* In: Christine Haug, Franziska Mayer u. Winfried Schröder (Hrsg.): *Geheimliteratur und Geheimbuchhandel in Europa im 18. Jahrhundert.* Harrassowitz, Wiesbaden 2011, S. 127–155.
• Peter Struck: *Zwei Briefe Friedrich Carl Forbergs aus dem Jahr 1794.* In: *Jahrbuch der Coburger Landesstiftung* (1994), S. 45–60.
• Peter Struck: *Friedrich Carl Forberg. Wer steuerte die Zeitungsblätter aus verschiedenen deutschen Städten zu Forbergs „Klatschrosen" bei?* LEIBNIZ-Bücherwarte, Bad Münder am Deister, 2007. ISBN 978-3-925237-21-8.
• Günther E. Thüry: ***Der Coburger Gelehrte Friedrich Karl Forberg (1770–1848) und die Erforschung der antiken Sexualgeschichte***. In: *Jahrbuch der Coburger Landesstiftung* 55 (2010/2011), S. 71–86.

Iunctiones interretiales

Commons: Friedrich Karl Forberg – Sammlung von Bildern, Videos und Audiodateien
• Literatur von und über Friedrich Karl Forberg im Katalog der Deutschen Nationalbibliothek
• SWR2-Sendung von Marianne Thoms über Forberg

SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
QUAE SPECTAT AD
FRIDERICUM CAROLUM FORBERG
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS

1 originaliter: *„außerordentlicher Beisitzer der Polizeiabteilung der herzoglichen Landesregierung"*
2 Titulus originalis: *„Lebenslauf eines Verschollenen"*.

DE EDUARDO HENRICO AVRIL

(1849-1928)

Édouard-Henri Avril (circa a.1885)

Eduardus Henricus Avril (qui natus est d.21. m.Maii a.1849 in Algerio, mortuus a.1928 in oppido *Le Raincy*) Francogallus fuit pictor et graphicus. Sub nomine, quod fuit „***Paul Avril***“ innotuit illustrator fabularum eroticarum et pornographicarum.[1]

Vita

Avril(ius) ab a.1874 arti figurativae cognoscendae studuit in *Scholâ Artium Bellarum Parisiensi* et ab a.1878 exhibuit picturas suas in variis Parisiorum exedris. Cum mandatum sibi esset, ut Theophili Gautier fabulam romanicam, c.t. Fortunio, picturis instrueret quam lascivissimis, nomine usus est *Pauli Avril,* quo postea usus est in plerorumque operum subscriptionibus. Avrilius cito in claritudinem perveniens persaepe rogabatur, ut libros classicos litterasque aetatis suae lasciviores illustraret. Libri picturis Avrilianis ornati ratione subscriptionis vendebantur hominibus classis burgensis divitioribus pretii incuriosis. Picturae eius saepe a fratre suo *Paulo Victore* radebantur; quo interdum fit, ut opera eius cum fratris confundantur.

1 Textus originalis est symbola Wikipediana theodiscê scripta: https://de.wikipedia.org/wiki Édouard-Henri_Avril

Opera

Paul, i.e. Eduardus Henricus Avril picturis ornavit haec opera quae sequuntur:

- *Salammbô* : Gustave Flaubert
- *Point de lendemain* : Vivant Denon (1889)
- *Fanny Hill* : John Cleland
- *Les Aventures du Chevalier de Faublas* : Jean-Baptiste Louvet de Couvray
- *Mon oncle Barbassou* (1884) : Mario Uchard
- *La Femme* : Jules Michelet
- *Musque, hashish et sang* : Hector France
- *Le Miroir du monde* : Octave Uzanne (1888)
- *Sonnetti lussuriosi* : Pietro Aretino (1892)
- *Le Roi Candaule* : Théophile Gautier (1893)
- *Gamiani* : Alfred de Musset

Opus eius principale habentur picturae, quae spectant ad Figuras Veneris Forbergianas1.

SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
QUAE SPECTAT AD
EDUARDUM HENRICUM AVRIL
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS

Hae picturae primo editae sunt in: Friedrich Karl Forberg: *De Figuris Veneris. Manuel d'érotologie classique*

DE FIGURIS VENERIS[1]



De figuris Veneris

auctor Friedrich Karl Forberg
illustrator Édouard-Henri Avril
Artifex integumenti Édouard-Henri Avril
Terra editionis Germania
Linguae Latina et Graeca in theodiscam, anglicam, Francogallicam, Hispanicam conversum
Annus publicationis a.1824

Opus, quod inscribitur ***De figuris Veneris***, est anthologia scriptorum antiquitatis Graecae et Romanae, quae ad res eroticas spectantia cum doctâ gravitate in genera distribuuntur et tractantur.

[1] Textus originalis: https://en.wikipedia.org/wiki/De_figuris_Veneris

Quod opus Fridericus Carolus Forberg Germanus philologus classicus primum a.1824 sermone Latino et Graeco publicavit, ut commentaretur Antonii Beccadellii (1394-1471) *Hermaphroditum*, opus a.1425 sermone Latino editum, quod complectitur poemata erotica.

Opus Forbergianum postea est etiam publicatum a Beccadelliano seiunctum, a.1899 a *Carolo Carrington* anglice reddi, a.1907 iterum a *Carolo Hirsch,* porro francogallice, theodisce, hispanice. Editio francogallica ab *Alcide Bonneau* facta inscribitur *Manuel d'érotologie classique*. Editio francogallica a.1906 illustrata est ab *Eduardo Henrico Avril;* in eius parte finali est index 95 positionum coeundi.

Loci testes

• *Thomas, Donald (1969). A Long Time Burning: the History of Literary Censorship in England. Taylor & Francis. p. 284.*

• • *Camille, Michael; Rifkin, Adrian (2001). Other Objects of Desire: collectors and collecting queerly. Wiley-Blackwell. pp. 86–87. ISBN 0-631-23361-X.*

• *Turner, James (2003). Schooling Sex: libertine literature and erotic education in Italy, France, and England, 1534-1685. Oxford University Press. p. 391. ISBN 0-19-925426-5.*

Bibliographia

· Manuel d'erotologie classique; artandpopularculture.com

· ***Antonii Panormitae Hermaphroditus]*, Friedrich Karl Forberg (a cura di), Goburgi, sumtibus Meuseliorum, 1824, pp. 205 ff.**

· *Manual of classical erotology (de figuris Veneris)*, Manchester, Julian Smithson M. A. and friends, 1884.

Iunctiones externae

Media related to Avril's illustrations to *De figuris Veneris* at Wikimedia Commons **Antonii Panormitae Hermaphroditus**

Autor / Hrsg.: Beccadelli, Antonio ; Forberg, Friedrich Karl ; Beccadelli, Antonio; Forberg, Friedrich Karl

Verlagsort: Coburgi | **Erscheinungsjahr**: 1824 | **Verlag**: Meusel

Signatur: P.o.lat. 1660 i

Reihe: Antonii Panormitae Hermaphroditus

MONITUM FORBERGIANUM

NON INTRET CATO THEATRUM NOSTRUM, AUT SI INTRAVERIT SPECTET.

Fridericus Carolus Forberg

SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
QUAE SPECTAT AD
FIGURAS VENERIS
FORBERGIANAS

LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS

DE FIGURIS VENERIS[1]



Varias Veneris figuras recensere consilium est, non omnes omnino illas quidem, qui enim fieri posset, ut mille modi Veneris, mille figurae, per quas ingeniosa libidinis satietas audeat Venerem jungere, numero comprehenderentur? Sed eas ita per certa genera digestas, ut suo quaeque loco facile aptari posse videatur. Noli vero, lector curiose, aliena forte spe animum pascere. Neque enim nos ii sumus, qui gloriolam petamus experta aut nove tentata prodendo in palaestra, qua tirocinium nequaquam posuerimus; neque est instituti nostri, oculis auribusve accepta tradere; neque etiam, ut maxime vellemus, ita tibi satisfacere ullo modo possemus, qui toti pendeamus a libris, toti simus in libris, vix versemur inter homines.

1 Textus a Leone Latino excerptus est ex hac editione: Antonii Panormitae Hermaphroditus. Primus in Germania edidit et apophoreta adjecit Frider.(icus) Carol.(us) Forbergius. Coburgi (Sumtibus Meuseliorum) 1824, p.205-214. Tres imagines quas pinxit Eduardus Henricus Avril, inveniuntur hac pagina interretiali: http://www.arterotismo.com/PaulAvril/index.htm

Lusimus haec otia primum animi causa, aliud ex alio nectentes, philosophia, in qua olim quasi tabernaculum vitae collocare putabamus, nunc jacente; an floret, cuius quaeque prope dies nova videt dogmata cito peritura pullulare, ut quot



philosophi, tot fere hodie philosophiae, sectae nullae, pro cohorte singulares exstare videantur? Deinde vero etiam propterea, ut eorum rationibus aliquantulum consuleremus, qui in liberiore scriptorum veterum simplicitate salibusque nudis haud raro haerentes deseri se quererentur pudica interpretum aut brevitate aut taciturnitate, licet qui pueris scripserint, eos jure suo abstinuisse ab obscenis voluptatibus diligentius et explanatius enarrandis infitias iverit nemo. Si quidquam peccaverimus, ignoscas quaesumus cum supellectili nostrae curtae, tum insolentiorum libidinum imperitiae, quae solet regnare in oppidis parvis, tum vero etiam mentularum Melocabensium, si placet, probitati.

Non nostrum est exemplum. Praeivit Astyanassa, quae Suida teste prima scripsit περὶ σχημάτων συνουσιασικῶν: praeivit Philaenis Samia vel potius ne de aliena fama detrahere videamur, qui librum περὶ ποικίλων σχημάτων ἀφροδισίων matronae honestae nomine inscripsit, Polycrates, sophistes Atheniensis: praeivit Elephantis sive Elephantine, puella Graeca, cujus lascivis libellis Tiberius Caesar cubicula instruxisse fertur: praeivit Paxamus, qui Δωδεκάτεχνον composuit de figuris obscenis: praeivit Sotades Maronita, Cinaedologus dictus, a quo Sotadeorum nomen mansit omni generi librorum, nimiae impudicitiae nota insignium: praeivit Sabellus, in quem Martialis XII,43:

XLIII

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus,
Quales nec Didymi sciunt puellae
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris novae figurae,
Quales perditus audeat fututor,
Praestent et taceant quid exoleti,
Quo symplegmate quinque copulentur,
Qua plures teneantur a catena,
Extinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat, esse te disertum.

Praeivit vir divini ingenii Petrus Aretinus, quem tabellas sedecim obscenissimas a Julio Romano pictas, a Marco tum Antonio in aere incisas, carminibus intemperantissimis, ut nihil supra, illustrasse iniqua fama canit: praeivit Laurentius Venerius, nobilis Venetus, auctor libelli Italico sermone conscripti, cum indice *La puttana errante,* quo coëundi non minus triginta quinque modos enumerare sibi sumsit: praeivit denique Nicolaus Chorerius, jurisconsultus Francogallus, qui Aloisiae Sigeae, virginis Hispanae, nomen praefixit Satirae Sotadicae de arcanis amoris et Veneris, quanquam et fertur libellus sub nomine Joannis Meursii cum epigraphe: Elegantiae latini sermonis; in quo libello nescias, utrum latine loquendi accuratam et sine molestia diligentem elegantiam, an festivitatem et facetiarum leporem, an eruditionis Romanae scintillas identidem micantes, an multam et copiosam orationem, exquisitis et verborum et sententiarum luminibus, antiquitatem redolentibus, velut gemmis distinctam, an praeclaram artem prodigialiter variandi rem unam magis admireris.

Alios mittamus.

Non defuerunt praedecessoribus nostris (antiquiorum quidem, quos laudavimus, omnium opera tempus nobis invidisse dolemus) censores tetrici, nec tamen lectores studiosi. Neque forsan deerunt utrique et nostrae paginae. Hominem illa sapit, ac famae securi hominibus scripsimus, naturam subducto supercilio furca expellere non consuetis, sed qui semel vivere auderent, quicquid et in tenebris non essent, nec in publico videri vellent, atque etiam, uti in omnibus rebus, ita in Venereis, auream potissimum tenendam putarent mediocritatem.
Valeant ceteri habeantque sibi sapientiae nomen!

……...……

Edi potest opus venereum aut per mentulam aut sine mentula. Si per mentulam, frictio mentulae, in qua omnis voluptas versatur, effici potest aut cunno aut culo, aut ore, aut manu aliisve cavis corporis: si sine mentula, cunnus fodi potest aut lingua, aut clitoride, aut alia quacunque re, virili veretro simili.

CAPUT PRIMUM

D E F U T U T I O N E.

Ac primum quidem videamus de opere, quod fit per mentulam cunno commissam. Id quidem proprie dicitur *futuere*. Varius autem modus futuendi. Potest enim fututio fieri aut proni cum supina, aut supini cum prona, aut supini aum aversa, aut sedentis cum adversa, aut sedentis cum aversa, aut stantis cum adversa, aut stantis cum aversa.

Iam singula dispiciamus.

Coitus proni cum supina est modus communis atque etiam ad naturam maxime accommodatus.

Aloisia Sigaea p.322. 23. *»Ego vero communem Veneris usum et figuram unice laudo, ut in supinam vir procumbat, pectus pectore, ventrem ventre comprimat, pubes pubi colludat, diffindens rigido conto teneram rimam. Nam quid dulcius cogitando fingi potest, quam resupinam amati corporis blando pondere ad irrequietae sed suavis impatientiae molles incitari furias? Quid gratius, quam amantis vultu pasci, osculis, suspiriis et patrantium oculorum incendiis?Quid praestabilius, quam amores suos fovere complexibus, sensibus quidem, quos non aetas, non vitium ullum obtudit? Quid utriusque libidini, utriusque voluptati laetius concutientis et succutientis lascivis motitationibus? Quid opportunius prae voluptate emorientibus quam flammescentium suaviorum vivida vi reviviscere?Qui aversa ludit in Venere, uni tantum alterive sensui gratificatur, omnibus, qui in adversa.«*





DE FIGURIS VENERIS DOCUIT FRIDERICUS CAROLUS FORBERG

TEXTUS EXCERPSIT LEO LATINUS


DE
FIGVRIS
VENERIS